



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Vtrum possit Deus semper omne quod potuit. D

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

Modus operationis ad sapientiam opificis referatur, nec alius, nec melior modus esse potest. Non enim potest facere aliquid aliter vel melius quam facit, id est, alia sapientia, vel maiori sapientia: nihil enim sapientius potest facere quam facit. Si vero referatur modus ad rem ipsam quam facit Deus; dicimus quia & alius, & melior potest esse modus. Et secundum hoc concedi potest, quia ea quae facit, potest facere melius, & aliter quam facit: quia potest quibusdam meliorem modum existendi praestare, & quibusdam alium. Vnde Aug. in 3. lib. de Trin. dicit, quod fuit & alius modus nostrae liberationis possibilis Deo, qui omnia potest: sed nullus alius nostrae miseriae sanandae fuit conuenientior. Potest ergo Deus eorum quae facit, quaedam alio modo meliori, quaedam alio modo aequo bono, quaedam etiam minus bono facere quam facit: ut tamen modus referatur ad qualitatem operis, id est, creaturae, non ad sapientiam creatoris.

Utrum Deus semper possit omne quod olim potuit.

D Praeterea queri solet: Utrum Deus semper possit omne quod olim potuit. Quod quibusdam videtur dicentibus, potuit Deus incarnari, & potuit mori, & resurgere, & alia huiusmodi, quae modo non potest. Potuit ergo quae modo non potest, & ita habuit potentiam quam modo non habet, unde videtur potentia eius imminuta. Ad quod dicimus, quia sicut omnia semper scit quae aliquando sciuit, & semper vult quae aliquando voluit, nec unquam aliquam scientiam amittit, vel voluntatem mutat quam habuit: ita omnia semper potest quae aliquando potuit, nec unquam aliquam potentiam suam priuatur. Non est ergo priuatus potentia incarnandi vel resurgendi, licet non possit modo incarnari vel resurgere. Sicut non potuit olim incarnari, ita & potest modo incarnari esse: in quo eiusdem rei potentia monstratur. Ut n.

R olim

Cap 10. in principio.

Responsio.

Hic non tenetur.

olim sciuit se resurrecturum, & modo scit se resurrexisse. Nec est alia scientia illud olim sciuisse, & hoc modo scire, sed eadem omnino. Et sicut voluit olim resurgere, & modo resurrexisset: in quibus vnus rei volūtas exprimitur: Ita potuit olim nasci & resurgere, & modo ipse potest natus fuisse & resurrexisset: & est eiusdem rei potētia. Si enim posset modo nasci & resurgere, non esset idem posse. Verba enim diuersorum temporum diuersis prolatata temporibus, & diuersis adiuncta aduerbiis, eundem faciunt sensum: vt modo loquentes dicimus, iste potest legere hodie, cras autē dicemus, iste potest legisse, vel potuit legere heri: vbique vnus rei monstratur potentia. Si autem diuersis temporibus loquentes, eiusdem temporis verbis & aduerbiis vtamur, dicentes hodie, iste potest legere hodie, & dicentes cras, iste potest hodie legere: non idem sed diuersa dicimus eum posse. Faciamur ergo Deum semper posse quicquid semel potuit, id est, habere omnem illam potentiam quam semel habuit, & illius omnis rei potentiam cuius semel habuit: sed non semper posse facere omne illud quod aliquando potuit facere. potest quidem facere aut fecisse quod aliquando potuit. Similiter quicquid voluit & vult, id est, omnem quam habuit voluntatem, & modo habet: & cuiuscumque rei voluntatem habuit, & modo habet, non tamen vult esse vel fieri, omne quod aliquando voluit esse vel fieri, sed vult fuisse vel factum esse: Ita & de scientia Dei dicendum est.

DE VOLUNTATE DEI, QUÆ ESSENTIA DEI EST VNA & ATERNA, & DE SIGNIS EIUS.

DISTINCT. XLV.

*De quidditate
re voluntatis
Dei.*

Iam de voluntate Dei aliquid pro sensu nostri imbecillitate dicendum est. Sciendum est ergo, quia voluntas siue volens de Deo secundum essentiam dicitur. Nō est enim ei aliud velle & aliud esse,